

velationem proposuerunt, totidemque fundarunt independentes societates (1); 2. apostoli non solum episcopatum representabant, cum acceperunt a Christo missionem, sed praeterea universitatem fidelium, qui proinde hoc ipso propriam missionem a Christo ipso immediate habuerunt; 3. temporaria fuit illa oeconomia, siquidem verba quibus Christus futuram suam adistentiam promisit, respiciunt ea tempora tantum, in quibus apostolis erant necessaria signa et prodigia ad disseminandum evangelium, ut patet ex Marci cap. ult.; 4. demum revelatio semper a privatis hominibus et individuis proponitur, imo quandoque et a laicis; ergo.

Resp. N. A. Ad prob. C. maj. et N. min. sub hac generali observatione, quod apostoli seu ecclesia quae immediate a Christo tum revelationem accepit tum ipsam missionem, aliter semper intellexit et in praxim redegit Christi verba et institutionem, ut in probationibus ostendimus.

Sed jam singillatim resp. ad 1. D. Apostoli seorsim singuli tanquam totidem membra ejusdem corporis et cum debita subordinatione ad suum caput, Petrum scilicet, ut inferius ostendemus, revelationem proposuerunt, C. alio sensu N. Negamus pariter totidem ipsos societates independentes constituisse; cum enim Christus universum gregem suum Petri curae tradiderit (Joan XXI, 17), hinc apostoli singuli acquiebat, ut ita loquar, Petro; omnes illae partiales societates seu ecclesiae coalescebant in unam universalem sub regimine Petri, quae proinde jam ab ipsis apostolicis temporibus *Catholica* seu universalis nuncupata fuit (2).

Ad 2. D. Apostoli sub aliquo respectu interdum universum fidelium coetum representabant, C. semper, ac praesertim in officiis proprii ministerii, ideoque et missionis ad evangelicam praedicationem N.

(1) Ita Gibbon, *Hist. de lapsu rom. Imp.* cap. 13, n. v; juxta ipsum apostoli sibi non vindicarunt auctoritatem legislativam, episcopi et presbyteri ejusdem erant auctoritatis, ecclesiae ab initio erant totidem republicae quae postea formam *federalivam* inierunt, unde origo unitatis, etc.

(2) S. Ignatius, *Epist. ad Smyrnaeos* cap. 8, sic ait: *Ἐποὺ ἂν φασὶν ὅτι ἐπισκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἕσται ὡσαύτ' ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία*, id est: *Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia*. Sic in *epist. ecclesiae smyrnensis de martyrio s. Polycarpi* legitur: *Καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀποστολικῆς στίβανον ἀπολαβὼν, εὐὸν τοῖς ἁγαστοῦλοι καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλωμένους, δεξάμενος τὸν θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλόγησεν τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν εὐαγγελίαν καθολικῆς ἐκκλησίας*, id est: *Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus (s. Polycarpus), una cum apostolis atque omnibus sanctis laetus glorificat Deum Patrem, et benedicit Dominum nostrum gubernatorem corporum nostrorum et catholicam per universum orbem ecclesiam*, (apud *Usserium*). Et in actis s. Pionii, qui passus est sub Decio, legitur: *Tum Polemo, christianus, inquit, es? Respondit Pionius: sum profecto. Cujus, inquit Polemo, es ecclesiae? Respondit Pionius: Catholicae; nulla enim est alia apud Christum* ( *Cons. Valesius* in notis ad cap. 40, lib. vii, *Hist. eccles. Eusebii*, et acta sanctorum apud *Bollandum*, mensis Febr. die 1 ).

Alioquin frustra Christus inuisset peculiarem ministrorum ordinem; frustra segregasset Spiritus Sanctus Paulum et Barnabam ad opus ministerii ( Act. XIII, 2 ); frustra apostoli ordinasset episcopos quibus commendarent fidei depositum ( I Tim. VI, 20 ) et frustra Spiritus Sanctus eosdem posuisset ad regendam ecclesiam Dei ( Act. XX, 28 ); frustra denique Christus fidelibus id injunxisset, ut suos audirent ministros, iisdem obedirent ( Luc. X, 16 ) iisque subessent, quae omnia apostoli in omnibus fere epistolis fidelibus commendant ( I Thess. V, 12; ad Tit. I; Hebr. XIII, 17, etc.). Et sane si omnes magistri, ubi discipuli? Si omnes pastores, ubi grex?

Ad 3. N. Nam Christi ecclesia semper indiget ejus praesidio et adistentia. S. Marcus loc. cit. ne inuitt quidem aliquando miracula et signa in ecclesia cessatura. Addat Christus apostolis eorumque successoribus promississe *Spiritum veritatis* qui doceat eos semper omnem veritatem, quique esset mansurus cum ipsis in aeternum; addatur praeterea Christi promissionem apud s. Marc. cap. ult. haecenus in ejus ecclesia adimpleri (1).

Ad 4. D. Revelatio semper a privatis individuis proponitur ut *privatis* hominibus et nomine proprio, N. ut publicis ecclesiae ministris et legatis ac nomine ecclesiae C. Nec enim semper vel princeps vel respublica vel senatus in persona propria vel subditis vel exteris gentibus propria exponunt mandata, aut voluntatem patefaciunt, sed per suos plerumque nuncios aut legatos; sic ecclesia per suos ministros gentibus Christi evangelium annunciat, revelationemque divinam proponit.

I. Inst. Ergo etiam haereticus posset ecclesiae nomine fidem annunciare, et gentes ipsi credere tenerentur. Atqui hoc est absurdum.

Resp. D. M. Posset haereticus ecclesiae nomine fidem annunciare mentiendo, C. vere et proprie N. Quod si infideles bona fide ipsum ecclesiae ministrum putarent, tenerentur quidem credere, sed in hac hypothesis non propter ipsum crederent, sed propter ecclesiam cujus nomine praedicat et cujus nomen usurpat, ac populi illi sic edocti jam pertinerent ad ecclesiam Christi, ut infantes ab haereticis baptizati, et adulti qui bonae fidei sunt, seu ignorantia invincibili laborant. *Ecclesia enim, ut loquitur s. Augustinus, etiam per ancillarum sinum liberos parit Christo* (2).

II. Inst. Nullum saltem infideles motivum extrinsecum et infallibile habent, quo induci possint ad actum fidei efficiendum, et ad credendam fide divina quae ipsis proponuntur; ergo.

Resp. D. A. Nisi Deus aliqua ratione suppleret, Tr. vel C. si Deus suppleat N. Jam vero Deus vel per donum miraculorum ecclesiae ministris concessit.

(1) Ut patet ex dictis in Parte hujus tract. n. 392 et seqq.

(2) Hoc est argumentum septem librorum, quos s. Augustinus inscripsit *de baptismo adversus Donatistas*, in quibus ostendit fieri etiam aliquando posse, ut aliquis habeat aliquid catholicum extra ecclesiam catholicam, praesertim lib. I, cap. 40.

sum, vel per internam gratiam suam, vel per utrumque simul cum infidelibus evangelium annuntiat, ipsos et illustrat et movet et persuadet et trahit adeo ut firmissime ac fide divina propositis fidei articulis assentiantur et credant, non minus ac si ab ecclesia ipsa ea credenda proponerentur. Brevi insuper iidem populi certiores fieri possunt de ecclesiae existentia ejusque prerogativis.

III. Inst. Possent tamen hac ratione illudi ac decipi; ergo.

Resp. D. A. Si mala fide agant, C. si animo sincero viam salutis quaerant N. Etenim Deus pro sua bonitate non patitur illos illudi ac decipi qui eum timent, et veritatem ex toto corde ac sincera mente inquirunt (1).

PROPOSITIO III. — *Sola proinde ecclesia est custos et interpretes infallibilis divinae revelationis, sive viva voce per traditionem transmissae sive litteris consignatae.*

Hae propositio est veluti corollarium praecedentis; etenim si Christus non privatis hominibus, sed pastorum coetui, seu ecclesiae a se institutae manus religionis propagandae et conservandae demandavit, si eidem specialem ad id munus rite obeundum ac perpetuam adistentiam promisit, si veritatis spiritum dedit in aeternum cum ipsa mansurum, si apostoli revelationis depositum delectis ad id successoribus custodiendum tradiderunt, ut patet ex illis apostoli verbis quibus sic Timotheum a se constitutum ecclesiae ephesinae episcopum hortatur: *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis* ( II Tim. I, 14 ); *Tu assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem... tu vero permansisti in his quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didicisti; quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* ( II Tim. II, 2 ); ac rursus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem excederunt* ( I Tim. VI, 20 et 21 ). Eadem inculcat Tito episcopo cretensi alii suo discipulo. Ex his plane consequitur, solam hanc ecclesiam custodem et interpretem infallibilem atque perpetuam esse divinae sibi traditae revelationis, non autem privatos homines quibus semper obedientia injungitur, in rebus praesertim fidei ac morum, nisi velint ab ecclesia ipsa extorres fieri, et haberi in censu ethnicorum et publicanorum ac haereticorum.

Revelatio autem partim scriptis consignata fuit,

(1) *Nam si sapientia et veritas*, (praclare inquit S. August. *de moribus Ecclesiae*, lib. I, c. 17, n. 51, 52, ) non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere se se atque abscondere a suis dilectoribus non potest... Amore petitur, amore queritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanet... O utinam posses intelligere quae dicta sunt! Confestim abieceris omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imagines corporum, totoque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide sanctissimo ecclesiae catholicae gremio condere.

partim viva voce transmissa, juxta illud apostoli: *Tene traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* ( II Thess. II, 14 ). Hinc s. Joannes in evangelio cap. ult. declarat se multa omisisse ex iis quae Christus fecit, et in secunda ac tertia epistola profitetur se plura adhuc scribenda habere, sed velle magis *os ad os loqui* ( II Joan. 12, et III Joan. 13 ). Volens propterea apostolus Paulus quosdam contentiosos compescere, eos provocat ad contrariam ecclesiae consuetudinem dicens: *notam consuetudinem non habemus neque ecclesiae Dei.*

Sola idcirco ecclesia a Christo instituta est utriusque scripturae videlicet et traditionis depositaria, custos et infallibilis interpres ab ipsa sua institutione, ac talis erit usque ad consummationem saeculi, quia ipsa semper suam retinet possessionem ac praescriptionem, et semper habet in semetipsa legitimos titulos juris sui.

Quapropter sequitur, 1. illos omnes et solos libros scripturae canonicos et divinos esse ab omnibus admittendos, quos ecclesia Christi ut tales recognoscit et admittit. Istorum autem censum exhibet concilium Tridentinum, sess. IV.

2. Omnes et solas traditiones ab omnibus Christi fidelibus divinas habendas esse, quas eadem Christi ecclesia ut tales admittit ac veneratur.

3. Jure suo ecclesiam uti, cum non omnes promiscue scripturae versiones approbat et permittit, sed illas tantum quas ipsa authenticas et fideles recognoscit; et cum insuper versiones in linguas vernaculas non nisi sub praescriptis a se conditionibus vulgari ac legi permittit (1).

4. Haereticos nullum jus in scripturam ac traditionem habere, ac multo minus ad earum interpretationem, utpote refractarios et extra ecclesiam constitutos, ut infra ostendemus.

5. Privatos fideles fructum quidem percipere posse ex scripturis, cum omnia ad ipsorum bonum ac utilitatem in ecclesia ordinata sint, vel eas juxta ecclesiae regulas exponere et interpretari, sed eas sub conditione, ut ipsorum interpretationes et expo-

(1) Ecclesiam itaque non absolute sacrarum scripturarum lectionem in lingua vernacula vetare filiis suis, ut calumniantur haeretici, et post ipsos Jansenista, patet ex regula in *Indicis librorum prohibitorum*; sed cum depositaria et custos fidelis sit sacrarum eloquiorum, in primis vetat versiones quas ipsa non recognovit, cum in versione, ut notum est, possit sensus corrumpi facili negotio, quemadmodum corruptus est in tot versionibus haereticorum, quarum catalogum exhibet Lelong in sua *Bibliotheca sacra*, duobus vol. fol. Parisiis 1725. Sed praeterea, ea ratione qua infantibus, qui lacte opus habent, ad nutritionem solidus cibus subtrahitur, ne eis noceat, vult ecclesia ut annotationibus atque illustrationibus difficiliora loca explanentur. Praclare Comes de Maistre: *« La douce colonie, avalant d'abord et triturant à demi le grain qu'elle distribue ensuite à sa couvée, est l'image naturelle de l'Eglise expliquant aux fidèles cette parole écrite, qu'elle a mise à leur portée; lue sans notes et sans explications, l'écriture-sainte est un poison. »* Soirées de s. Pétersbourg, soirée XI, tom. II, pag. 544, édit. d'Anvers. Sed de hoc argumento ex professo in tract. *De locis theologicis*.



sitiones intra *privatam opinionis* cancellos concludantur; et ecclesiae iudicio subiciantur, cum ipsius tantum sit *authenticam* et *auctoritativam* interpretationem dare.

## DIFFICULTATES.

I. Obj. I. Scriptura est patrimonium commune; eam Deus in hereditatem legavit filiis suis; Evangelistae fidelium precibus morem gerentes evangelium scripserunt (1); 2. Apostoli epistolas suas ad varias fidelium societates miserunt; 3. Scripturae lectionem omnibus commendarunt; 4. Apostolus Paulus omnibus Thessalonicensis ecclesiae fidelibus injunxit: *Tenete traditiones*, etc.; ergo non coetus pastorum, sed fidelium coetus est *custos divinae revelationis*, ac proinde legitimus ejus interpret.

Resp. I. generatim D. A. Sub directione ecclesiae, quae a Christo ipso revelationem accepit et a Spiritu sancto una cum ipsius intelligentia ac legitimo sensu, C., independenter ab ecclesiae auctoritate et directione, N. Etenim certum est quod Christus *aperuit illis* (apostolis) *sensum*, ut *intelligerent scripturas* (Luc. XXIV, 45), utique Veteris Testamenti; quoad scripturas vero Novi Foederis certum pariter est ex dictis, ecclesiam iis praescripsisse, easque ut genuinas ac divinas approbasse. Sic apostolorum princeps approbavit epistolas omnes s. Pauli, et simul corripuit praeposteras quorundam privatorum interpretationes (II Petri III, 15).

Resp. II. Singillatim, ad 1, D. Quatenus ad commune bonum et utilitatem a Deo data est sub ecclesiae directione, C. quatenus ad omnes et singulos jus pertinet auctoritative eam custodiendi et interpretandi N. Nam et sacramenta commune patrimonium ac hereditatem constituunt, nec tamen propterea fideles jus habent ea administrandi. Ceterum quinam legislator codicem suum dimittit uniuscujusque custodiae atque interpretationi? Si res ita se haberet, actum prorsus esset de tota ipsa legislatione.

Ad 2. D. Una cum pastoribus suis eorumque subordinatione ac dependentia, C., ad solos fideles exclusive, N. Apostoli scilicet epistolas suas scribebant vel ad universam ecclesiam vel ad ecclesias particulares, quae constitutebantur ex pastoribus et fidelibus, istis autem perpetuo subjectionem et dependentiam a propriis pastoribus commendabant; quod si ad particularia individua scribebant, ea minime subducebant generali institutioni, qua tenebantur obedire iis, quos Spiritus sanctus *posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (Act. XX, 28), et quibus dicebatur: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Hebr. XIII, 17).

Ad 3. D. Ut supra, sub directione ecclesiae, C. independenter ab ipsa, N.

Ad 4. D. Id est ecclesiae prout supra explicatum est, C. fidelibus seorsim sumptis, N. Ad apostolos proprii pastoralis ministerii officio functos esse, cum ista scriberent ad fideles communiendos a sedu-

(1) Ita passim scriptores Historiae Ecclesiasticae testantur.

cloribus, ac propterea ex illorum agendi ratione magis confirmari necessitatem dependentiae a legitima auctoritate, ne in errorem quis inducatur vel ex propria infirmitate vel ex aliorum malitia.

Inst. Scriptura non est nisi voluntatis Dei declaratio; aequi omnium filiorum est interpretatio voluntatis patris; ergo.

Resp. D. min. Juxta regulas, quas pater ipse praescripserit, ac prout exigit ipsa rei natura, C. pro utriusque arbitrio ac voluntate, N. Alioquin, si illis oriretur inter filios circa patris dispositionem, nullus unquam finis disceptationis haberetur. Quare apostolus Petrus omnibus inculcat: *Hoc primum scientes, quod omnis propheta scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando propheta; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Epist. I, 20, 21).

II. Obj. Si ecclesia esset revera depositaria, custos atque interpret infallibilis revelationis, nulla unquam excitata controversia fuisset circa numerum librorum canonicorum eorumque authenticitatem, nulla quaestio mota fuisset circa traditiones; atque magna olim, ac primis ipsis ecclesiae saeculis, dissensio fuit circa hos articulos inter diversas ecclesias, nec magis Patres inter se hac in parte concordantes fuerunt (1); ergo.

Resp. D. M. Si ecclesiae infallibilitas esset per modum revelationis aut inspirationis, C. si per modum adistentiae ne erret in propriis judiciis, N. Porro apostoli acceptam a Christo revelationem consignarunt vel singularibus individuis, episcopis scilicet, vel particularibus ecclesiis quas instituerunt, et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper, atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinae corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, eam proponebant, prout colligitur ex I. Cor. III, 1, 2, et alibi passim. Hinc non potuit statim constare singulis episcopis vel ecclesiis particularibus, ex quibus ecclesia universalis coalescit, de iis, quae apostoli sive viva voce, sive scriptis singularibus vel episcopis vel ecclesiis commiserunt. Inde orta quandoque vel excitata controversia sive circa numerum librorum canonicorum, sive circa veritatem aliquarum traditionum, sive de eodem circa legitimum sensum quorundam scripturae locorum, donec collatis suffragiis ecclesia universa divina ope suffulta de eis determinaverit seu iudicium tulerit (2).

(1) Cons. Franc. Marchini *Tractatus de divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum* (Vid. tom. 3. *Curs. compl. Scripturae sacrae*.)

(2) Ex his patet, celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est esse tenendum*; quod ipse fuse evolvit n. 3, 4, 5, adversus haereticos in suo *Commonitorio*, et quo nonnulli ex recentioribus scriptoribus abusi sunt ad statuendam meso quam auctoritatem universalem generis humani ut fidei christianae basim, non esse intelligendum nisi in sensu, ut dicuntur, *positiva* quatenus nempe, *quod semper*, etc. non possit non

Inst. Ergo ecclesiae fides non semper uniformis fuit.

Resp. Si sermo sit de aliqua difformitate positiva, quatenus alii contraria vel diversa crederent N. Si de difformitate negativa, *subd.* quoad ecclesias aliquas vel particularia individua circa puncta nondum definita, Tr. vel C.; quoad ecclesiam universalem, N. Voco autem difformitatem negativam illam diversam sentiendi rationem, quae oriebatur vel adhuc oritur circa quaestiones nondum eliquatas vel definitas, quae potius provenit ex carentia cognitionis quam ex positiva aliqua scientia; omnes tamen ita affecti erant, prout semper sunt, ut implicite crederent ea omnia, quae tanquam divinitus revelata teneret vel tenet ecclesia, explicite credituri, si ea expresse ecclesia definitivisset vel definiret.

PROPOSITIO IV. — *Ecclesia Christi est una, visibilis atque perpetua.*

Illic nobis in animo non est agere de notis verae ecclesiae, de quibus ex professo in tractatu de *Locis theologicis* sermo instituetur, sed solum eas intrinsecas et essentiales proprietates persequi, quae ad rem presentem faciunt, juxta methodum quam nobis praefiximus ad impugnandos heterodoxos.

Ut igitur ad propositum veniamus, ecclesia est societas ab ipso Christo instituta ad profitendam religionem, cuius ipse auctor est et invisibile caput. Cum vero religionem Christus ad commune hominum bonum et utilitatem instituerit, hinc sequitur quod ecclesia vel societas a Christo instituta necessario debeat esse *una, visibilis atque perpetua*.

Una quidem, prout una est religio, una fides, quam Christus homines docuit, quamque ipse voluit homines profiteri. Religio autem et fides, sicut et veritas, una est ac indivisibilis in sui notione, nec ullam patitur cum falsitate et errore vel commixtionem vel transactionem, cum altera alteram excludat, veritas enim, ut acute observat s. Augustinus, est quod vere est (1), falsitas autem quod non vere est; quicumque propterea recedunt a fide quam Christus tradidit ecclesiae suae, seu societati quam ipse instituit, hoc ipso recedunt a veritate et ab unitate; ergo ecclesia Christi est essentialiter una, sicut essentialiter una est fides et una veritas.

Et sane Christus vocat ecclesiam suam *unum ovile* esse verum, aut non ex traditione apostolica descendere; non autem in sensu *negativo*, ita ut verum aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium librorum, quos deuterocanonicos dicimus; quod prorsus absurdum est, atque a Vincentii Lirinensis mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitata adhuc sua aetate esse, vel paulo ante fuisse controversias circa sacrorum librorum canonicitatem; et abunde constat successu temporum sexcenta fuisse ab ecclesia definita, quae prius, nondum ortis haeresibus, quae solemnes ejusmodi definitiones provocarunt, non nisi *implicite* credebantur.

(1) Tract. xxxviii, in Joan. n. 10, p. 559, edit. Maur.

(Joan. X, 16), vocat regnum suum (1), Ecclesiam suam (Math. XVI, 18), etc. Et apostolus *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. IV, 5); et in symbolo apostolico jubemur credere *ecclesiam catholicam* (2).

Omnis insuper societas, quae ex hominibus coalescit, debet necessario esse visibilis atque externa; talis autem est ecclesia quam Christus instituit. Ergo ecclesia Christi non solum una, sed et visibilis est. Quare non solum internam fidem, sed et externam fidei professionem Christus ab hominibus exposcit: *Qui confitebitur me coram hominibus, inquit, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui erubuerit me et sermones meos coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* (Math. X, 32). Et Apostolus ad Romanos: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (cap. X, 10). Symbola praeterea externa ipsis dedit, nempe sacramenta, externum sacerdotium et externos ministros; praecipit ut omnes obedirent praepositis sibi pastori-

(1) Matth. xvi, 28, et alibi ecclesia passim a Christo regnum Dei vocatur, *regnum caelorum*, etc.

(2) Ubi obiter notandum est, plerosque protestantes, qui adhuc retinent symbolum apostolicum, prorsus sustulisse vocem *catholicam* e symbolo, ne, quoties illud recitant, toties propriae sectae condemnationem reperiant. Attamen neque hac ratione illam effugiunt, siquidem, cum profiteantur se credere *ecclesiam*, et quidem unicam et singularem, quid aliud venire potest sub hac denominatione nisi ecclesia catholica? Numquid ridiculum non est putare, apostolos vel auctores antiquissimos hujus symboli, quod saltem ab aetate apostolica provenit, et doctrinam apostolicam continet, voluisse ut obiectum vel articulum fidei proponere: *Credo ecclesiam lutheranam, vel reformatam, vel protestantem*, etc.? Alii nonnulli aliter vitium originis suae obtegere conati sunt, dum vocem *catholicam* aequivoce verterunt per vocabula germanica *Allgemeine christliche*; Borussiae rex qui apud protestantes sui regni sacris praest, in *Agenda*, seu *Rituale* protestantico, ejus jussu ex ecclesiae romanae *Ordinibus* et antiquis ritualibus catholicis conflato, et protestantibus regia auctoritate nuper imposito, verba Symboli apostolici: *Credo... Sanctam ecclesiam catholicam, sic transtulit: Ich glaube... eine heilige, allgemeine christliche Kirche* (Vid. *Agende für die evangelische Kirche in den Königlich-Preussischen Landen, mit besonderen Bestimmungen und Zusätzen für die Provinz Westphalen und die Rhein-Provinz, pag. 25, in-4, Berlin 1854, id est Agenda pro evangelica ecclesia regni borussici, cum peculiaribus dispositionibus et additionibus pro provinciis Westphaliae et Rheni*); sectae itaque suae sententiam clarius pronunciat, quam si vocem *catholicam* omnino de medio sustulisset. Dixi *auctores antiquissimos*; licet enim quidam recentiores intemperantes critici subdubitare videantur, apostolos per se hanc fidei regulam, quam symbolum apostolicum dicimus, minime confecisse, attamen extra dubium est ipsum antiquissimum esse, cujus jam meminit Tertullianus, in lib. *De Virginibus velandis*, c. 1, ubi illud vocat *regulam fidei*, tum in lib. *De Praesc.* c. 15, et *Adr. Praxeam*, c. 2, atque s. Irenaeus, lib. 1. *Contra haereses*, c. 2; imo doctus Petavius censet ad hanc fidei formulam, passim jam receptam in omnibus ecclesiis apostolica aetate, s. Paulum respexisse in Epist. I. ad Cor. vii, 5, quaeque catechumenis ac tronibus, ante baptismum proponi, atque ab iis exigi solebat (*Theol. dogm.* tom. II, lib. III, de Trin. c. 1, § 5). Vid. *Berger, Dict. de théol. art. Symbole*, nec non *Nat. Alex. Diss. XI in soc. ecclesiae*.